

Visual Library Portal

Digitalisierung von Drucken des 17. Jahrhunderts

Disputatio Iuridica De Apostolis

**Seth, Christian
Thegen, Bernhard**

Regiomonti, 1672

VD17 547:643957F

urn:nbn:de:s2w-3272

DISPUTATIO JURIDICA
DE
APOSTOLIS

Quam
JESUSALVATO-
RIS AUXILIO,

Sub Præsidio

DOMINI

DN. CHRISTIANI

SETHEN,

J. U. D. & Prof. Publ. Ordin.

Avunculi sui maximâ observantiâ suspiciendi
publicè disquisitioni submittit

BERNHARDUS Thegen /

R. P.

I. D. 263. 9. In Auditorio Majori
die Mart.

REGIOMONTI,

Typis FRIDERICI REUSNERI, SER. ELECT.

BRAND. ET ACAD. TYP. Anno 1672.

71
Nobilissimo, Amplissimo atq; Consultissimo
DN. BARTHOLOMÆO BEHMIO,
Serenissimi Elect. Brandenb. Dicafterii,
quod in Prussia est, Aulici Assessori
gravissimo, meritissimo,

Nec non

Admodum Reverendo, Praclarissimo
atq; eximie Docto

DN. M. GEORGIO FUNCCIO,
Ecclesiae Löbnicensis, quæ Regiomonti Prusso-
Pastori vigilantissimo, ut & Sambienfis
consistorii Assessori dignis-
simo



Amiculo honoratissimo,

Domini Patronis & Promotoribus
suis æternum devenerandis

Hanc Dissertationem in perpetuam debitâ reverentia
ac gratitudinis tesseram, tum sui suorumq; stu-
diorum ulteriorem commendationem, submisit
offert & dedicat

B. E. D. G. S.

Bernhardus Ziegen /

R. P.

I. N. J.

Potentissima Romanorum Respublica, petitis ex Græcia legibus, quas in decem tabulis æneis scriptas, pro juris civilis fonte habebat, gaudere aliter non poterat, quam si certis agendi procedendive formulis in judicio eas tractari videret. Hanc moratiores pleræq; Gentes & Civitates secutæ, non jura modo negotiis populi, ut in structura Lesbiæ plumbeam regulam, ductu *Aristotelis 5. Eth. 10. n. 20. & 2 Polit: 4.* accommodare, sed certâ adhibitâ solennitate & per Apostolos ea superiori offerre voluerunt, quapropter Juri Gentium & Civili Apostolorum originem inniti asserimus.

§. I. Sic in Codice sacro Paulum gentium Doctorem à Tribuno, Claudio Lysia cum *Literis Dimisoriiis* ad Porcium Festum transmissum legimus *Actor. 23. v. 25.* quod ipsum quoq; Festum in appellatione ad Cæsarem observasse colligitur ex *Actor. 25. v. 26.* Sicuti hoc apud Romanos frequentissimum fuisse ex Marciani Jcti *lib: 2. de Appell: constat,* cujus de hac materia legem Imperator Justinianus majestate corroboravit, & Digestorum volumini inseri curavit *Tot. Tit: de Libell: dimisf: Ad æmulationem* hujus Juris Clemens Papa in Corpore Canonico *c. quamvis 2. de Appell: itidem* cum Apostolis appellationum causas superiori insinuandas sancivit. Et sic etiam Regno Siciliæ servari refert *Marant: part: 6. de Appell: num: 219:* Regnum Franciæ differentiam ponit inter causas seculares & Ecclesiasticas: In causis namq; secularibus sufficit ibidem verbo appellare, neq; Apostolos petere tenentur, sed succurritur ipsis ex æquo & bono, ut dicit *Guid: Pap. decis: Delphic. C 456.* salvo per alia Jure Communi; in causis vero Ecclesiasticis eorumq; Curiiis, jus Apostolorum integrum remansit, teste *Petro Rebuffo ad l. 106. ff. de V. S.* Idem quoq; Juris in Saxonia obtinere patet ex *Ordinat: Elect: Saxon: Tit: Von Appellationen &c. post pr. Carpzov: part: 1. Constit: 20. Def: 6.* Quo ad Prussiam; sub initium Ordinis Teutonici, cum a Magistratu Civitatum ad Scabinatum Culmensem Appellationes instituerentur, Apostoli dimissi, tempore autem Casimiri Polonorum Regis sublato Culmensi Judicio iterum cessasse videntur. *Schütz: Cron. lib. 10. p. 443.* Donec tandem sub Alberto Marchione Brandenburgico, primo Prussiæ Duce, appellationes ad Regem Poloniæ Sigismundum

devolutæ; Ubi Prussia Regalis causas Warfaviam, judicio Assessoriali, Præside Cancellario Regni, per Apostolos, quod hodiernum istis in locis observatur, transmisit. Ducalis vero iungulare quid hac in re obtinuit, dum causæ à Curia Electorali per appellationis viam, non ad Assessoriale, sed Propriarum relationum Judicium, ab ipso Rege cum Consiliariis suis (propter Regalem fortassè Serenissimorum Electorum eminentiam & potestatem) susceptum, nullis adhibitis Apostolis pervenerunt. At cum hodie ipsi Electores Brandenburgici vi supremi Domini, ex Augusto Prussiae Tribunali controversias omnes decernant & penitus extinguant, Acta à Judicio Aulico cum attestato Secretarii, super legitima interpositione & admissibilitate appellationis, sub sigillo publico, ad declarandum Dominorum Judicantium consensum, supremo Tribunali præsentantur. Magistratus autem inferior, Præfecturarum scilicet: Provinciæ, & Civitatum, non nisi cum Apostolis Acta causæ Dicasterio Aulico offerunt; Unde Jus Apostolorum proprium quasi inferioris instantiæ apud nos censetur.

§. II. Præmissa Apostolorum origine, frequentiq; observantia, omnium primò in Definitionem Nominalem inquiremus; Ubi notandum: Nomen Apostolorum dupliciter accipi. 1. *Generaliter*, pro ut denotat nuncium mandato aliquo instructum, quales à Salvatore nostro duodecim, ad prædicandum Evangelium, cum potestate sanandi ægros, & expellendi dæmonia missos, sacræ tradunt literæ *Marc: 16. v. 17.* 2. *Specialiter*, quatenus in palestra juris pro Libellis Dimissorii sumuntur, *l. un. ff. b. t. l. 106. ff. de V. S. de Jur. fil. Cujac: ad l. 5. C. de Appell: Rosbach. de Process: jur. Tit 74.* Germanis vocantur die Abscheidbriefe/ quorum formam tradit *Ferrar: in præct: Papiens. p. 226. Rosbach. d. l.* Quo in sensu nobis quoq; in præsentiarum veniunt.

§. III. Nomen Apostoli cum Græcum sit, Etymologiam petimus ab *ἀπό τῆς ἀποστέλλειν*, quasi literæ missæ ad superiorem *Wesenb: parat: b. t. Petr. Rebuff: ad l. 106. de V. S. Gæd. ad b. l. n. 2.* Libelli vero Dimissorii dicuntur à dimittendo quod scilicet: per eos causa dimittatur *l. 106. de V. S. Vultej. J. R. a. c. 33. §. exinde. Wesenbec: d. l.* Sive itaq; Græco sive Latino vocabulo has literas insigniamus, quoad finem & officium perinde esse cernimus.

§. IV. Definitio Realis est, quod sint Literæ testimoniales, quos Judex à quo appellatur, tradit appellanti deferendas Judici ad quem est appella-

appellatum, in quibus continetur, qualiter talis persona à sententia
ejus appellavit.

§. V. Hi à DD. variè dividuntur, & quidem (imo) in DIMISSORI-
OS, qui dantur à Judice cum appellationem pro admisibili declarat
& causam à sua Jurisdictione ad Judicem ad quem dirigit, quos
proprie tantùm Apostolos vocamus, *per. l. un. ff. de Libell. dimiss.*
Wissenbach. ad l. 106. de V. S. (2do loco) in REFUTATORIOS, per
quos Judex inferior ad instantiam appellati frivole & à denegata in-
terpositam appellationem refutat, dum referunt judici appellatio-
nis ea quæ compendiosa narratione causas provocationis possunt
explanare, & rationes ab quas appellationis via præcludatur *l. fin. §.*
in refutatoriis C. de Appell. Marant, part: 6. de Appell. n. 214. Quos
(3tio) sequuntur REVERENTIALES, quando appellatio de jure qui-
dem rejicienda esset, Judex tamen à quo appellatum, in honorem
& reverentiam superioris ei indulget *l. eos 6. §. super bis C. de Apell.*
C. cordi de Appell: in 6. Et solet inter DD. quæri: si reperiretur scri-
ptum nomen appellantis, cui judex dedit Apostolos, & nondictum
fuisse an Reverentiales essent an Refutatorii, quales nam in dubio
putandi sint? Et deciditur per dictum Abbatis antiqui singulare, quod
in tali casu Reverentiales dicendi sint, quod etiam tenent DD. *in C.*
dilectus de Appell Ludovic: Pontan: singul. 121. (4:0) Sunt TESTIMO-
NIALES, κατ' ἐξοχήν sic dictos; qui testificantur de Appellatione in-
terposita eorum Notario, aliisq; publicis, honestis ac fide dignis Per-
sonis, si Judex fuerit absens, vel Apostolos dare recusaverit *C. ult. de*
Appell. C. pastoralis de offic: ord: Spacul: Tit: de Apost: §. sequitur n. 14.
vel quando etiam coram ipso Adversario, tanquam à Judice extra ju-
diciū appellatū fuerit, qui tunc de tali actu in scriptura testimoni-
um exhibet, ne quid fiat juris ordine neglecto *C. cordi de Appell in 6. C.*
oblata de Appell. Rosbach. d. tit. 74. Durand: specul. §. sequitur. Hi
autem non recipiuntur, nisi re prius cognitā, cur Judex appellatio-
nem denegaverit, *Carpzov: part. 1. C. 20. Def: 8.* nec propriè Apo-
stoli sunt, licet vicem earum subeant, multominus necessariò re-
quiruntur, cum de Jure Civili Apostolos Dimissorios cum instantia
petitos fuisse sufficiat, & si Judex eos concedere noluerit ut appellans
potestetur; quo Jus suum sibi salvum maneat. *l. un. ff. de Libell. dimiss.*
l. 6. §. fin. C. de Appell. l. 5. in pr. de Appell. recip. & tunc si, justam ap-
pellandi-

pellandi causam fuisse Judex superior perspexerit, inferiorem judicem simul cum suo officio multa afficit *per l. 19, 21, 24. in pr. de Appell. Nov: 126. c. 3.* Sicuti idem punitur cum temerario appellante si frivolum recepisset. *l. 6. C. quorum appell. non recip. l. 6. § 4. l. 19. C. de Appell.* Sed quamvis hoc ita de Jure Civili obtineat, Civilitas tamen nostrorum temporum & quotidiana praxis, nullam in justificatoriis, ob denegatam vel promiscuè admissam appellationem, poenam judicantibus dicitare consuevit, cum semper secundum conscientiam exactis & legibus probatam sententiam formasse præsumantur *Jus Prut: Lib. 1. Tit: 4. in pr.* Sed soli temerari litigantes multam subire tenentur, quandoq; etiam ad interesse temporis intermedii persolvendum condemnantur *per l. 24. in pr. de Appell. l. 41. de Usuris l. ult. de Re jud.* Jus Prutenicum frivole appellantem præter expensas appellato restituendas in multam 10. aureorum ungaricorum judici solvendam condemnat *Jus Prut: Lib. 1. Tit: 44. Art: 4. § 13.* deperdito simul toto appellationis pretio *Jus Prut: d. l. Art. 5. § 1. (5to)* Dantur CONVENTIONALES, quos appellatus vel Notarius dat appellanti, cum scilicet in Judicio, judice renuente & tacente, vel permittente, sive extra judicium appellationem admittit. *C. oblata 57. X de Appell. Rosbach. Process. jud. Tit. 74. n. 7.* quibus itidem definitio Apostolorum tradita in *l. un. b. t., & l. 106. de V. S.* applicari non potest. Et quantumvis de Jure Civili Pars Adversa interpositam appellationem refutare possit *l. 9. C. de Appell.* Consensum tamen ejus pro admittenda appellatione præcise non requiri existimamus *per d. l. (6to.)* Tandem succedunt RESTITUTORII, quibus Judex gravamen à se appellanti illatum revocat, & colliguntur *ex Cap. ex parte X de App.*

§. VI. Ex adductis modò Apostolorum speciebus manifestum est dari eos ab eo coram quo appellatio interposita fuit, sive is fuerit Judex, sive Notarius, sive etiam ipse Adversarius. Præcipue vero occupati sumus his, quos Judex in judicio litigantibus imperitur; Proinde sicut Apostoli vel in ipso appellationis actu, secundum *Clem: quamvis 1. de Appell. Ferrar. in pract: Papiens. in form: appell. Besold: de process: ud. c. 18. Carpzov. Lib. 3 Tit. 12. Resp. 115.* vel post, intra subsequentes 20 dies petuntur; Sic porro Judex interpositæ appellationi & petitis Apostolis, vel statim defert, vel certis de causis terminum ad audiendâ sponsonem & dandos Apostolas præfigit *l. 6. §. ult. l. 24. C. de Appell.*

Novell.

Novell. 126. c. 3. in fin. Matth. Matthesil. sing: 21. num: 1. Carpzov: part: 1. Constit: 20. d: 8. & tum terminum legalem qui est triginta dierum observat, vel si ipsi æquum visum fuerit eundem coarctat arg: l. 2. § glos. ff de Rejud: quod generali consuetudine servari tradit Matthesil. d. 1. & docet idem Petrus de Ancharano ad Clem: quamvis de Appell. Rosbach. de Process. jud. Tit: 74. n: 16. Mynsing: Cent: 3. Observ. 15. Gail. 1. Observ. 140. n: 7. Consentientibus ad hoc statutis Delphi Gvid: Pap. sing: 358. § ult. Quo in termino si appellans non comparuerit, nec Apostolos receperit, jure appellationis cadit, neq; amplius auditur, Carpzov. Lib. 3. Tit. 12. Resp: 115. n: 7. Notabilem insuper circa hujus termini præfinitionem Matthesilanus tradit practicam, quam putat observandam Judici, à cujus sententia appellatur, si voluerit illaqueare appellantem & facere appellationem desertam, quod Apostolos petitos in forma communiter usitata in continenti non tradere debeat, sed respondere se esse occupatum, traditurumq; ea die, penultima termini Juris, hora nimirum 16; tunc si appellans non comparuerit dicta hora, appellatio reputetur pro deserta, neq; excusetur sive ante sive post comparuerit, ut in Clem: quamvis 2. de Appell. Ob hanc verò Matthesilani practicam, memorat Petrus Rebuffus de Montepessulano, in Regno Franciæ expresse constitutum esse, ut Judices in causis secularibus ex æquo & bono appellantibus succurrant, sine eorum petitione; qua lege providere voluit æquitas Franciæ, ne judices quoad possent, cautelis suis curarent excludere appellantes. Rebuff. ad l. 106 de V. S. Sive autem statim sub appellationis interpositionem, sive ex intervallo appellationem receperit, & in Apostolorum exhibitione consenserit, non amplius requisitus legitimo tempore eos tradere tenetur per l. 5. C. de Appell. ubi tamen partis vigilantia nihilominus requiritur, ut, si iudex multis impeditus negotiis, in faciendo officio cesset, Apostolos cum instantia petat, nisi appellationem pro deserta haberi velit per l. quoniam C. de Appell. mora enim ipsius Judicis appellantem non excusat, in cujus potestate fuit, eos petere, & major inquit Castrensis lib. 6. est negligentia partis non petentis, quam iudicis non offerentis, Carpz. part. 1. C. 20. Def: 8. Quemadmodum vero iudex terminum Juris pro accipiendis Apostolis, vel totum vel ex parte assignare potest, sic porro jus Commune arbitrio ejus, fatale ad introducendam appellationem, & præsentandos Apostolos quod

regu -

regulariter unius anni est, l. 5. § in his C. de temp. & repar. Appell., commisit, per l. Praeses C. de Appell. in quo bonum Matheslanus putat habere iudicem gratiosum C. person. C. oblata 57. X. de Apell. cum moderari & dari soleat secundum distantiam locorum, & personarum qualitatem, quam lex vel ignoravit, vel spontè mero iudicis officio relinqui voluit. Carpzov. d. c. 20. Def: 9. Similiter in Camera Imperiali duplicia ad introducendam cum Apostolis causam, fatalia reperiuntur, Legis nimirum & Horninis, sive Iudicis; licitum enim est Iudici terminum juris qui est sex mensium minuere ex Ord: Cam: part: 2. Tit: 30. Sicuti idem quoq; ad supplicationem intra terminum ordinationis exhibitam, à Iudice appellationis objustam causam (nimiam scil: loci distantiam, aquarū inundationem, &c.) prorogatur. Gail. 1. Observ. 140. n. 7. Jus vero Saxonicum hunc terminum in Iudicis arbitrio & discretionem non ponit, sed mensem unum à die quo dati sunt Apostoli, ad eorundem introductionem statuit. Ord: Elect: Saxon. von Appellationem, de Jure Prutenico sunt 30. dies, à tempore latae sententiae computandi Lib: 1. Tit: 44. Art: 6. § 1. Et omnia haec fatalia adeò strictè observantur, ut si appellans in termino se cum Apostolis non praesentaverit, appellationis, nondum introductae, beneficio privetur & exceptione desertionis repellatur. l. 2. § fin. C. de temp. & repar. appell. Bald. l. 5. C. de Appell. Carpzov: lib. 3. Tit: 12. Resp. 116. n. 10. modo Iudicis praesentiam habere potuerit, a loquin protestatione & praesentatione pro signanda commissione opus est, super qua appellans publicum recipiat instrumentum, ne forte si intra terminum signata non fuerit, clamnum exinde patiat. C. quod per me de Reg. Jur. in 6. Rota Decis: 451. not: si iudex.

§. VII. Circa solas vero Actiones & Negotia in iudicium introductas Apostoli versantur, quae per sententiam in inferiori causarum instantia decisae, & per Appellationis viam ad superius iudicium devolutae sunt, cui simul cum Actis praesentandi atq; insinuandi.

§. VIII. De forma porrò Apostolorum esse putamus, ut debito modo iustoq; tempore petantur & praesententur. Modus consistit in eo, ut omni diligentia, sollicitudine, & saepius petitio instituat. l. un. § 2. b. t. Clem: quamvis 2. de Appell. Pac: Isagag. b. t. n. 3. Quod secundum rigorem juris explicandum fore ac si diversis temporibus requirendi sint, sed quoad aequitatem & hodiernam consuetudinem

dinem uno contextu, h. e. nullo actu extraneo interveniente, cum hac clausula: peto instanter, instantius, instantissime, postulantur. *Rosbach. l. Tit. 74. n. 17.* & quandoq; in scriptis *Spec: § sequitur. Tit: de Apost: Jus Prut. Lib: 2. Tit: 44. §. 1.* Quoad stylum Curia in Prussia nostra, Apostolos Dimissorios appellantes petere necessum non habent, sed postquam Judices appellationem susceperunt, ex officio per Apostolos Acta Judicio Aulico offerunt. Refutatorii verò Actis appellationum non ratione officii, sed ad instantiam appellati annectuntur, atq; si petiti non fuerint, sola Acta sub ocluso rotulo Dicasterio Aulico insinuantur, quod tamen in Praefecturis provinciae, quae in Civitatibus Montis Regii viridi observantia custoditur. In appellationibus ad Cameram Spirensis, itidem requisitio Apostolorum necessaria non est, sed sine detrimento appellationis omitti potest. *Mynsing: Cent: 4. Obser: 36.* Quod petitionis tempus concernit, de Jure Communi & ex Constitutione Principum intra triginta dierum spatium à tempore prolatae sententiae numeratas, exigendi sunt, *leg. 24. C. de Appell.* quod proinde tam litigantibus, quam Judici commune cernimus. Qua occasione gravis inter DD. est controversia: An nominati 30. dies à tempore interpositae appellationis, an verò à lata sententia computandi sint? Hostensis & alii ab interposita appellatione eos numerari volunt; nos vero, ut dictum, recte illorum opinioni adstipulamur, qui in his triginta diebus etiam descendium, ad interponendam appellationem praefinitum, contineri affirmant per. *l. 24. C. de Appell. Marant. part. 6. n. 219. de Appell. Guid: Pap: sing: 358. n. ult. Jus Prut. Lib: 1. Tit. 44. Art: 5. § 1. Mathefil. sing: 21 Carpzov: de Constit: 20.* Ignoranti tamen utile esse volun, ita ut demum à tempore, quo in notitiam lata sententia pervenit, currant. *Carpzov. Lib: 3. Tit: 12. Resp. 115. n. 4. Zanger de except: part: 2. C. 20. n. 3.* Quamobrem ut disputandi occasio evitetur, omnium optimè in ipso Appellationis Actu mentionem eorum fieri existimant *Carpzov. d. l. & Besold: Process: Jud: Cap. 18.* hac aut simili forma: Demnach ich mich mit ausgesprochenem Urtheil in viel Weg beschweret befinde: Als will ich hiemit in der besten Form rechtens ad proxime superiorem NN. Judicem appelliret, und mich beruffen/ auch zumahl Acta & Apostolos begehret haben. Interposita siquidem appellatio tam firma esse nequaquam potest ut, si omitta fuerit Apostolorum requisitio, executionem

impedire possit, sed tunc in Jure contra Appellantem proceditur, & proinde habetur, ac si nunquam interposita fuisset *C. ab eo de i. Appell. l. un. ff. de i. l. 6. § 1 ff. de his qui not. infam. Marant, p. 6. n. 219.* nisi forte fuisset rusticus, qui Apostolos petere nescivisset, ut putat *Guid. Pap. Quest 4.* Præterea, si ad debitam & legitimam requisitionem exhibiti fuerint, appellans Apostolos simul cum Actis, intra fatale, quod à lege vel Judice præfiniri diximus, apud Judicem ad quem, producere atq; offerre, necessum habet; alias sententia transit in rem Judicatam, & Judex super desertione ex Actis apparente etiam sine instantia appellati, ratione officii pronunciat. *Ord. Cam: part: Tit: 30. § 2. Gail. 1. Observ. 140. in pr. Ord: Appell. Elect: Tit. von Apdellationen, Bald. in l. presens C. de Appell.*

§ IX. Cœterum non alium ob Finem Apostoli tam ritigantibus petuntur, quam à Judice, Notario, vel etiam Adversa Parte, impetrantur, quam ut Judex appellationis melius de Causa instruat certiorq; reddatur.

§ X. Effectus Apostolorum pro varia consideratione, varii sunt, & quidem (1mo) *Ratione specierum*; DIMISSORII namq; cum REVERENTIALIBUS, hoc operantur, ut Judex per eos appellationi deferre videatur; per REFUTATORIOS contra appellationis iniquitas ostenditur, eam videlicet esse frivolum, contra Jura, & à denegata, quod poenam rectè meretur, interpositam. (2do) *Quoad Judicem*, is, si Apostolos dederit in causa ulterius procedere nequit; si verò eos vel disertis verbis, vel tacturnitate recusaverit, nihilominus tamen contra Appellantem in causa processerit, processus ex Jurisdictionis defectu susceptus, pro nullo habetur, attentatq; revocantur *l. 24. C. de Appell.* Quod candidi cordatiq; Judices ob Jurisjurandi religionem, omnibus modis evitant; sed officium suum DEO, LEGIBUS & POPULO gratissimum volunt & exhibent.

His pro ingenii mediocritate & ob materiae brevitate, succinctè propositis, terminum figimus in Laude & Gloria æterni nostri
MEDIATORIS, qui omnium laborum nostrorum
Initium moderatur & Finem.

COROLLARIA.

I. Juris prudentiam nostram non in mera legum cognitione, vel nuda Civitatis practica, sed in vera Juris philosophia ponimus.

II. Vera quoq; est illorum opinio, qui eam nil aliud, quam Ethicam, ad casus singulares applicatam, dicunt.

III. Cum Justinianus Imperator Jus omne ad utilitatem Reipublicæ, & usum Fori tractari jubeat, distingvimus inter scientiam de praxi, & praxin ipsam. (tamus.

IV. Judicario ordine neglecto, frustra de jure & facto disputamus.

V. Jus Creandorum Magistratum inter Regalia Principis referimus, sicuti ipsum quo Jus Appellandi.

VI. Verum Civem illum dicimus, qui habet potestatem ferendi suffragii in Republica.

VII. Sentimus cum Vultejo, unicuiq; licere adversus desertorem militiæ, & hostem publicum, non implorato Jus dicentis officio, vindicem esse Læsæ Majestatis, devotionisq; publicæ, desertore cum bonis suis obfesso, prehensio, & si se telo defendat etiam occisoper l. 2. C. quando liceat unicuiq; &c.

VIII. Insigne Libertatis Romanæ est Jus aureorum annulorum. (certum est,

IX. Servos Romanorum nullum quidem habuisse caput

X. Pileus tamen personarum nomen illis tribuebat.

XI. Tantum quisq; pecuniæ habet, quantum ex bonis suis refici potest.

XII. Venditio rerum ad corpus sive speciem, item ut aliquando dici solet, per aversionem (durch den Bogen) bonæ fidei non contrariatur.

XIII. Crimen Directariorum, qui in aliena coenacula se dirigunt furandi animo, est contra Jus naturæ.

Ad

Ad Pereximium & Præstantissimum
Dominum Authorem, Avunculum Honoratissimum,

DUm ferè sacra Themis cæcis involvitur umbris;
Et priscis opibus dum spoliata gemit.
Tu tamen Eunomiæ sequeris latissima castra,
Ut tua laus dives pulset utrumq; potum
Perge ita! Sic poteris Juris-Consultus haberi:
Quod studiis opto justa brabea tuis.

Honor: & Amor: ergo apposit

CHRIST: SETH, D.

EN cathedram repetit, quam nuper
Honore reliquit
THEGIUS, id quod ei gratulor
ex animo.

Inter occupat: alexed

J. MITZEL, D. & P.P.


APOSTOLORUM JURA discutit Thegen
Solertis Ingeni, Pedisequus Legum,
Decus suorum & totius Juventutis
Sic MAXIME EST LUDANDUS, non Refutandus.

L. M. scrib.

G. WOSEGIN, Ph. & Med. D. P.P.

Sunt quibus Arma placent, sunt quos quoq; Gloria vexat
Indignos, sunt qui nil nisi magna probant.
Non sic Tu sentis, non sic decernis amice,
ASTRÆÆ Sanctæ Te tenet unus Amor.
Ecce iterum scandis magna cum laude Cathedram,
Jura Fori tractas Practica, Juris Amans.
Perge! Tuos ausus, Numen tua cæpta secundet,
Ut tandem crescat fructus ubiq; tuus.
Gratulor hisce Tibi, præsens res optima Laudi
Verget, & applausum Doctæ Corona dabit.

*Ita Præstantisf. & Literatisf. Dn. Respondenti de Apostolis
publice Disputanti, gratulari amicè voluit.*



JOHANNES Sand